



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione
Et Anima

Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682

Prooemium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)



PROOEMIUM.

Nihil hic ago de *Questionibus Proœmialibus Physicis* : Quia Majores, quæ in hac materia, assumi debebant, omnes sunt expensæ in Logica, sub quibus Minores facile subsumi possunt ; ita ut de re, nulla sit in presenti difficultas : aut enim pro objecto statuitur Ens mobile, aut Corpus quæ tale, aut Corpus substantiale, aut Corpus naturale, quæ omnia in re idem sunt. Quia ad prædicta, in Re vocantur omnia, quæ scibilia sunt in Physica, ipsa autem secundum rem, ad nihil aliud revocantur, de ceteroq; supponuntur esse scibilia. Quoad vocem autem attinet, non commodè appellatur objectum Physica, Ens mobile, propter rationes in Logica, in simili adlatas, de Objecto, sub nomine Entis, non constituendo. Non rectè etiam appellatur Corpus quæ tale : quia si nihil obsit, debet assignari objectum formale, distinctum à materiali : Cum enim objectum definitivum sit scientiæ & in definitionibus, explicite, licet breviter, singula sint evolvenda, non evolvuntur autem, si idem, & sub eodem nomine, pro formali ponatur. Vnde fit, ut si possit fieri, querendum sit aliud nomen. Commodius ponitur Corpus substantiale, sed quia recedit à phrasi Aristotelica, quæ Libros, præsentis materia, à Natura appellat, fit ut commodissimè dicatur objectum Physica, esse Corpus naturale. Ly naturale, non accipiendo pro eo, quod opponitur supernaturali, sed secundum præsentem materiam, quæ seipsam explicat. Nempe prout Corpus naturale, sumitur pro Corpore, in quantum est principium motus, & quietis, in quantum ex Vi Corporis, deposcit quantitatem, & similia.

TRACTATUS I. DE PRINCIPIIS ET CAUSIS CORPORIS NATURALIS.

Contra Communem ceteroquæ praxin, non sejungo Tractationem de Principiis, à Tractatione de Causis. Licet enim ut ex inferius dicendis constabit, principium & Causa distinguantur, tamen in Physica, quod habet rationem principii intrinseci compositivi, vel extrinseci, habet rationem Causæ accommodatè acceptæ, & si quid est specialis diversitatis, brevi perstringi potest.